

Disputatio inauguralis medica de ictero ... / [Johann Burckhard Mögling].

Contributors

Mögling, Johann Burckhard, active 1679.
Camerarius, Elias Rudolph, 1641-1695.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Johann-Henrici Reisii, [1679]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ntzjm9nu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

2

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

ICTERUS,

Quam

CONSENSU & APPROBATIONE

AMPLISSIMÆ, GRATIOSISSIMÆQUE FACULTATIS
MEDICÆ IN CELEBERRIMA ACADEMIA
TUBINGENSIS

PRÆSIDE

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,

Philos. & Medicinæ Doctore & Professore P.

Archiatro & Consiliario Württembergico

t.t. DECANO,

*Domino Patrono & Præceptore omni observantia cultu
prosequendo.*

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

**ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE
CONSEQUENDI.**

Ad diem Septembris Ann. MDC LXXIX.

horis matutinis

IN AULA NOVA

Publico Examini submittit

JOH. BURCKHARDUS MÖGLING,
Pfortzheimensis.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-HENRICI REISI,

PRINTED IN MANCHESTER BY J. B. CLAY

C T E R O

CONSTITUTIONAL MEDICINE
BY J. B. CLAY

THE CAMBRIDGE
UNIVERSITY PRESS

THE CAMBRIDGE

UNIVERSITY PRESS

THE CAMBRIDGE

UNIVERSITY PRESS

Σύγ Θεώ.

T H E S I S I.

D Ari cum pluribus affectibus p. n. usus fortuna
 Icterus vocatur ab analogia cum re quapiam
 externa, vel *ἀπὸ τῆς ἰκτέρας*, Lat. Galgulo ave,
 quæ Autore *Plinio H. N. l. 30. c. 11.* ejusdem
 est cum Ictericis coloris, visaque sanat icterum,
 ipsa moritur; vel à viverra, seu mustela sylve-
 stri, quæ Græc. dicitur *ἰκτίς*, & auricolores habet oculos; vel *ἀπὸ
 τῆς ἰκτίως* milvo, ob similem oculorum colorem; vel à gemina,
 quæ Ictero medetur, & *Plinio l. c. l. 37. cap. 10.* Icterias audit.
 Aliàs vocatur quoque Aurigo, Auriginosa perfusio, Morbus Re-
 gius, Arquatus, quorum explicationes ubivis obviæ, Germ.
Gelbsucht/Gallsucht/ quasi *Gallsucht*; Ab Aliis hoc nomen etiam
 tribuitur Erysipelati, quod Ictericitia rubra, Chlorosi, quæ Icterus
 albus dicitur, & vitiligini.

II. Ad Pragmatologiam accedens *Icterus*, qui præsentis
 erit tractationis, definitio, quod sit *Symptoma qualitatis mutatae, quò
 habitus corporis flavo, obscure viridescenti aut nigro colore inficitur,
 à vitioso p. n. humoris ejusdem coloris in cutem effusione dependens,
 & variis stipatum molestiis.*

III. *Subjectum* quidem non solùm est habitus corporis,
 sed partes quæcunque, ad quas sanguis alluit, hinc album ocu-
 lorum potissimùm affici, visus; carnem, membranas, pinguedi-
 nem, fauces, gulam, ventriculum, intestina, pericardium, hepar,
 cerebrum, quod in specie dicit *Helmont. Schol. Humor. Pass. de-
 cept. c. 4. §. 16.* aliàsque partes, sanguinem, lympham, lacry-
 mas nonnunquam etiam flavere, imò matrem Ictericam simi-
 lem fœtum, sanguine & ossibus hujus tinctis, edidisse variæ Me-
 dicorum testantur Observaciones; quò jure ergò ictericum colo-

rem solum cuticulæ, non cuti aut subjectis partibus inesse dicitur. *A. Mollinetti diff. Anat. pathol. l. 1. c. 3.* merito dubito; posui enim habitum corporis in definitione, quod ibidem vitiosus color in sensus incurrat, alibi verò mente tantum percipiatur; Ipsa tamen cutis glandulosa subjectum aliquando fit causale, dum glandulis istis stagnans humor vitiosus sive affluentem sanguinem tingit, sive tincturæ aptos in illo humores segregat.

IV. *Causa proxima* unanimi Medicorum consensu est morbus p. n. flavus, vel niger, cuti suffusus, qui quidem vulgò nomine, flavæ vel atræ venit; *Sennert.* tamen *Inst. l. 2. p. 2.* ob similem colorem de bile non rectè semper concludi asserit, que vidisse ait humorem à fœmina vomitu excretum planè ceum, qui tamen bilis qualitates non redolens dulcis erat, & prore glycyrrhizam æmulabatur. Causa ergò erit biliosus humor non angustioribus inclusus terminis. Nam sub hoc bilem naturalem, tum à crasi debita deviantem, humores tum Veterum phrasi biliosos, tum alios etiam variâ particularum mixtura analogos, sulphureas, acriores sanguinis particulas, serum commixtionem flavedine tinctum, igneos humores, virus excrementosum, cruorem sive stercus flavum, in unum coiens entelicum atque vitriolatum sal cum liquore sulphuris resoluti, similitudinem bilis ad naturalem cum cæteris humoribus effluviscentiam, acidum fermentale à felle dulcificatum, furcata sive mata spicula, & spiritus martiales comprehendere, unam rem tam variis nominibus adaptare quid vetat? Peccat iste biliosus humor hinc loci vel quantitate excedente, vel qualitate variis commixtis variè alteratus, eaque ad naturalem crasin particularum, quæ sunt maximè sulphuræ, falsæ enixæ & volatiles sero haud destitutæ, texturam sive irreducibili, quod substantiæ & totius generis vitium Alii dicunt, sive reducibili, cuius utrinque aut effera fit bilis, turgescit, effervescit, (licet non semper febriliter,) aut crassa, viscida, pinguis nimis fit, particula sulphuræ ejus, aut falsæ enixæ aduruntur, figuntur magis, tandem quasi fluit; vel motu, dum (effervescentiam dictam etiam Alii huc referunt) impetuosè & p. n. ad exteriores potissimum movetur partes, distributivæ, verbò *Helmontii*, errore, aliqua

criticè, symptomaticè aliquando, dum in extimis stagnat, quod Loci vitium alii vocant, & interdum sanguinem, ut §. *preced.* dictum, magis inficit. Sæpèque non uno dictorum, sed duobus & pluribus modis Symptoma hoc producit biliosus humor.

V. *Cause Mediate Naturales* sunt, quotquot largiorem biliosi humoris proventum adjuvant, eundem variè alterant, & ad exteriora moveri faciunt, corpusque ad obstructions, viscerum maximè, disponunt, temperamentum cholericum, melancholicum, prima infantia, ætas juvenilis, senilis. Mercurium & Martem accusant *Astrologi*, ad quos Lectorem remittens, Medicum rectius causas sensibus nostris magis obvias, quàm remotas illas ab astris desumas inquirere judico.

VI. *Nonnaturalium* agmen ducit Aër, calidior præcipuè, & sicciior, qui bilis ferax, frigidus item, obstructionibus, & crudorum humorum collectioni ansam qui præbet. Cibi calidi, sicci, acriores, valdè aromatizati multum ad copiam, & ebullitionem bilis conferunt, vini meracioris & spiritus vini liberalior potus, inedia, consueti jentaculi denegatio, immoderata corporis exercitia, post cibum præsertim, vigiliæ nimix, lucubrationes, ira, exempl. in gravida vide apud *River. C. 2. Obs. 9.* mœror longus, metus, exempl. habet gravidæ *Excell. Binninger Cent. 5. Obs. 37.* ♀ intempestiva, balneorum usus nimius, verbò, Luxus omnis velut imber sanitatem nostram prosternens; Idem efficiunt retenta subinde p. n. quæ excerni debebant, excrementa, menses præprimis, lochia, & hæmorrhoides, hinc & icterum infantes in utero materno, vel 3. aut 4. die à partu corripientem non malè ex meconio retento, aut in deterius corrupto quidam derivant, notante *Exc. D. D. Ettmüll. Valet. Inf. c. 2.* melius sc., quàm qui ex compressione infantis in partu deducunt. A tabaci fumo in Inassueto Icterus natus vidit *Borell. hist. & Obs. Medico-phys. C. 4. Obs. 31.* Ex assumptione plumbi copiosiore *Fernel. d. cur. L. Ven. c. 7.* observavit, Ex baccis juniperi immoderatius devoratis puer adhuc Icterus contraxit *Exc. Bruno,* ut refert *Remor. purg. p. 120.*

VII. *Venena* quomodo Icterus producant, lis est inter Autores maxima: Potiores cum *Senn. l. c. τὸ θέρων Hipp.* agnoscunt,

scunt, venenaque hæc non manifestis qualitatibus, sed occultâ vi, quæ deleteria dicitur, sanguinem in flavum, nigrumve humorem convertere putant; Absque tamen occulta vi humores varios diversa particularum textura diversisque instructos potentiis occurrentes sibi in singulis corporis partibus sanguinis splendentem purpuram variè mutare posse ipsa docet Experientia; Nec negaverim, venena imis summa confundendo, bilemque cum sanguine commiscendo auriginem producere posse, quò respectu *M. Donat. hist. med. mir. l. 1. c. 9.* bilem copiosam præexistentem requirit, & Naturam, dum hostem à vitæ fonte ad ambitum propellere conatur, bilem simul in corpore ad externas partes deturbare credit, quali modo & sæpe purgantia icterum efficere solent; Præstant autem id venena per os assumpta vias cibi ingesti ordinarias permeando, morsu verò, vel ictu inflictâ per venas, vasa lymphatica, & arterias (modum in conflictu explicabo) cordi, sanguinique communicantur, per contagium verò hausti similes venenati halitus sanguini in pulmonibus, non cerebro commiscuntur.

VIII. *Res p. n.* Causæ vicem gerentes sunt humores p. n. morbique varii. Hepar, per cujus acinos glandulosos & poros bilarios segreganda bilis, si calida & sicca intemperie, tumore, inflammatorio præsertim, item scirrho, vulneribus & ulceribus afficitur, vel obstruitur, vitia supra exposita producit; frequentissimè fit obstructio, mali hujus causa, in ramis bilariis aliquibus non rarò vel omnibus per totum hepatis corpus dispersis, & ubique cum portæ ramis communi quadam capsulâ inclusis, ut testatur *Fr. Glissonius Anat. hep. c. 27.* in poro bilario, cystide fellea, ductu cystico, & communi, idque à plethora, sed rarissimè, à phlegmate viscido, grumo sanguinis, bile crassa & copiosa, præsertim si talis gignitur, vel ob moram diuturniorem in cystide ab ambiente calore quasi affatur, prout & hoc cerumini accidit, monente *Plater. prax. Med. tract. 3. d. Vit. Cut. l. 1. c. 2.* à lymphâ glutinosa, callo, crusta lapidea, amurca argillosa, quale exempl. habet *Celeb. Barthol. Act. Hafn. vol. 3. obs. 260.* vermibus, quorum duos in vesicula vidit *Gal. Wierus teste F. Hildano Obs. chir. 60. Cent. 1.* & à Calculo, cujus plurimæ prostant obser-

servationes, vid. saltem *Kentmann. d. calculo*, *Schenk. in Obs. Exc. Schneider. d. Catharr. l. 3. s. 1. c. 7. Eph. Germ. Ann. 1. Obs. 44. & 129. Ann. 3. obs. 260. Sc. Bierling. advers. curios. p. 5.* Et optarem cum Celeberrimo quodam Medico accuratam hujus dignotionis & curationis indagacionem. Sub tali obstructione aut non omninò in porum biliarium & cystidem, aut non satis expellitur biliosus humor, aut regurgitat ex his, quod frequentius accidere *Exc. Bonetus dicit Anat. Pract. l. 4. s. 3. obs. 21.* quod & fit, si dicti ductus & folliculus constipantur, immodicè replentur, si comprimuntur, aut à causa aliqua externa violenta, ab hepate tumido, aut ventriculo & intestinis flatu distentis, ab utero quoq; viscera sursum cogente, si instar chordæ exiccantur ad ariditatem, ut notavit *Argenter. l. 4. aph. 62.* si obtorpescunt, si convelluntur, si à nimio & præpostero adstringentium usu adstringuntur, si intestina spasmodicè contrahuntur, eorū glandulæ læduntur, imò nonnunquam, si turgescit bilis; Hanc in classẽ referendi varii partiũ sanguinis depurationi inservientium morbi, ventriculi puta, intestinorum, pancreatis, lienis, renum, glandularum, etiam subcutanearum, & Febres variæ, biliosi nimirum humoris vel quantitatem augendo, vel crasin mutando, vel motum invertendo; Natura item crisin institutura, operiq; huic impar cum vitioso humore simul bilem in corporis ambitum protrudit. Vulnera causæ sunt icteri ob affectus animi alterantes & moventes sanguinem, Archæum furibundum, quod & de venenis dictum, sanguinis effluxum & penuriam, ac nonnunquam globum vel grumum sanguinis ductum communem choledochum obstruentem.

IX. *Nigri Icteri* causa vulgò audit Lien p. n. affectus, seignior scil. in attractione chyli crassioris, vel succi melancholici, unde remanentes in sanguine atram hanc cutis defædationem inducunt, præter fas tamen & æquum, cum lienis hoc officium non sit, ut abundè videre licet ex *diff. d. Liene Exc. D. D. Metzgeri, Præceptoris & Patroni mei Parentis instar devenerandi.* Non tamen Lienem hîc penitus absolvo, præprimis, si niger color sensim corripiat ægrum, quatenus scilicet recrementosæ sanguinis partes ob non impressum à Liene fermentum in debitis naturæ emunctoriis non secernuntur, & relictæ sensim cruorem bo-

num

num proportione superant, eidemque & toti conseq. corpori alienum; sibi tamen proprium imprimunt colorem, quo sensu egregiè Icterus nigrum describit *Forest. l. 19. Obs. 22. in schol.* quod sit delatio sanguinis impuri, non expurgata ab eo nigra bile, in universum corpus; Flava tamen bilis deterius corrupta similem inducere poterit colorem, hinc nec malè à *Willisio tr. d. Urin. c. 4.* definitur, quod sit flavus diuturniori mora in deteriore effectus.

X. *Signa* quærentibus ipse se prodit hic affectus, flavus nimirum, aut obscurè viridescens, vel niger corporis color, qui in albidis ejusdem partibus citius perspicitur, quàm in reliquis; Album Oculi hoc malum facilè revelat, proindeq; Ictericis interdum visa flava apparere affirmant *H. Capivacc. l. 3. Prax. c. 21. & P. Zacchias quest. Med. Leg. l. 2. tit. 1. quest. 4. num. 6.* quod tamen rarò & tùm, cùm humores oculi inficiuntur, biliosoque humore splendente, contingere testatur ægrorum relatio, & negat cum *Aliis Mercurial. prax. lib. 1. cap. 32.* In venis quoque sublingualibus ob earundem amplitudinem & linguæ laxitatem croceus hic color facilè apparet. *C. Gemma l. 1. d. Nat. Div. charact. c. 7.* vidit & unguis, & labia, & crines cum omni corporis habitu extremè fulvos & aureos in ictERICA mensium suppressione laborante, teste *M. Donat. l. c. Borellus l. c. C. 1. Obs. 68.* observavit argentum in pera Icterici, mirum! citrino colore infectum. Urina est crassa, crocea, interdum viridis, & atra, cui immersa linteamina simili colore imbuuntur; Quod verò nulla ex ulceratio appareat, sub longiore præcipuè Ictero, quæstio est difficillima, cùm in herpete bilis semper partem corrodat: Cystim felleam, licet bilis sincera ibidem vires suas habeat unitas, Natura sagaci consiliò, tanquam partem exquisitissimo sensu prædictam contra contenti feritatem secundum superficiem internam lento mucò obduxit, ut notat, qui instar omnium est, *J. Vesling Synt. Anat. c. 4.* ob quam rationem & per vesicæ membranam tertiam & quartam vasa sanguinea non disseminari dicit *Celeb. Borrichius Act. Med. Hafn. Vol. 2. Obs. 53.* Veruntamen, cum aliis partibus Natura hoc modo non providerit, potius intimior feri, quod in specie ad humorem Pancreaticum restringit *WartB*

Adenogr. c. 13. bilis acrimoniam hinc temperat, quam planam facit bilis in hoc malo per urinam & sudorem frequens excretio, remanente licet colore, adde, quod alia herpetem, quam quæ Icterus, bilis efficere videatur; nam in Ictero intimius sero sulphuræ & biliosæ commixtæ, ab invicem solutæ, imò subactæ sunt particulæ; & quod vasa non similiter afficiantur; fit tamen non raro molestus sub cute pruritus, in diuturniore maximè Ictero, exempl. vid. ap. *Gr. Horst. Obs. Chir. l. 4. p. 2. Obs. 2.* quod in declinatione fieri ait *Sylvius prax. Med. l. 1. c. 46.* Junguntur aliæ communiter, (hinc naturalis excluditur Icterus) molestiæ; fervor & dolor lancinatorius circa dextrum hypochondrium, compressio, ut vocant, cordis, lassitudo, pigrities, gravitas, respiratio difficilis, oris amaror, anorexia, capitis dolor, alvi constipatio; Cur verò non omnes Phrenetici fiant Ictericus, ex diversa biliosi humoris in utroque affectu conditione facilè patet.

XI. Venenum, ut ad potiores causarum species descendam, si in culpa, referet æger, vitaque antecedens, maculæ ubique ferè erumpent lividæ, nigræ, cæruleæ, aut diversicolores cum aliis signis veneni malitiam notantibus. Hepatis intemperiem calidam, item inflammationem, biliosi humoris copiam, & turgescientiam, designant pulsus celer, febris, tussis, sitis p. n. nausea, fastidium cibi, amaror oris, vomitus bilis, dextri quoque hypochondrii gravitas & dolor, urina erit intensè flava, feces verò alvi à naturalibus vix discrepantes, vel bile copiosâ tinctæ, quapropter præcipuè obstructionem abesse colligitur, cum in hac alvus sit pigra, argillosasque instar canis ossa rodentis feces deponat. Collum vesicæ felleæ obstructum patefacit Cardialgia, sive dolor tensivus juxta Cartilaginem ensiformem, qui affe tegetur, Autore Excell. *D. D. Wepfero in epist. contenta in Obs. Med. 79. Cent. 1. Exc. D. D. Verzascha.* Excrementa alvi viridia, lumborum dextri, præsertim, dolor, calor, horror, dolor nephriticum mentiens, effervescentiam biliosi humoris in intestinis notant. Criticus Icterus ex febre acuta, signis coctionis, die Critico, urina & fecibus naturalibus plerunque judicatur, Symptomaticus ex febre acuta, sed absque signis coctionis die non Critico,

tico, & fecibus alvi nonnaturalibus cognoscitur. Plura causarum aliarum signa ubivis apud Practicos videre licet.

XII. Circa *Prognostica* in genere notandum, non esse universale *Helmontii sextupl. digest. alim. hum. §. 30.* pronunciatum, quod dicit, Icterus non esse mortalem. Facilius est Icteri flavi curatio, quam nigri, ob causas hujus pertinaciores, si à levi scilicet obstructione oritur, unicum non raro cholagogon exhibitum sufficit, verbis *Sennert. prax. l. 3. p. 6. §. 2. cap. 7.* Periculosior est cum intemperie hepatis, vel inflammatione conjunctus, lethalis plerumque, ubi à calculis nata fuit obstructio, exempl. vid. ap. *Timeum l. 3. Obs. 28.* Quibus hepar fit durum, malum quoque esse ait *Hipp. aph. 42. §. 6.* Periculosus pariter venenatus est, quod, ut inquit *Hübnerus, Fautor & Amicus Argentorati olim honoratissimus. diss. inaug. d. Tarantismo c. 7.* profundius jam impactum visceribus venenum vitæ sedem & rationis tribunal occupaverit, edito in publicum improbitatis specimine, icterum tamen Tarantulæ raro lethalem, ut ex mille demorsis vix duo moriantur, proclamat *Sennert. Pr. l. 1. p. 2. c. 17.* Malum item est signum anorexia, deliria, vigiliæ; A callis, exiccatione, compressione, ortus difficulter curatur. In febribus acutis, si Icterus die 7, aut 9, aut 11, aut 14. supervenerit, bonum esse, nisi dextrum hypochondrium induruerit, dicit *Cow §. 4. aph. 64.*, Malum contra, si ante diem 7. febricitantes aurigine corripiantur *aph. 62. §. 4.* Ubi Eruditorum animis magna insidet dubitatio, quibus fundamentis posterius hoc *Hipp.* effatum nitatur; Potiores, inter quos est *Senn. Inst. l. 3. p. 3. c. 7. & prax. l. 3. p. 6. §. 2. c. 7. P. Martianus Comm. in §. 4. d. rat. vict. in morb. acut. Hipp.* nimis rigidam mali acceptionem rejiciunt, & ut periculosum, non verò simpliciter lethale, septimumq; diem tanquam principalem Criticorum pro omnibus hinc esse positum pronuntiant, quibus ipse *Hipp.* subscribit *l. 4. d. rat. Vict. in morb. acut. v. 270.* inquit: In febre biliosa Morbus Regius ante 7. diem natus cum rigore solvit morbum, sine rigore pestiferum. Pari limitatione eget *aph. 72. §. 5.* Auriginosi non sunt admodum ventosi; Ii scilicet, quibus bilis in jecore calidiori redundans, quod in Græcia frequens, Icteri erat causa, secus verò, ubi jecur vel cystis fellea ex collectione crudo-

rum humorum est obstructa, accidere Experientia testis est, ob defectum scil. clysteris naturalis, quò natura crudos humores in iutestinis diluere solet, vid. *Holler. d. Morb. intern. l. 1. c. 37.* Quoad Eventus modum, terminatur nonnunquam in hydropeem, colicam, dysenteriam, febres, cachexiam, aliosve plures p. n. affectus.

XIII. *Curationem* aggressurus monitum observet *Paracelsi*, Icteri semina, antequam in caulem & flores erumpant, ut marcescant, cogenda esse dicentis, & Indicantia probè animadvertat; Curatorio quidem Indicante secundum Doctores morborum proprio hic seposito, Præservatorium causas icteri respiciens (*Galenus l. 9 d. comp. medic. sec. loc. errare Medicos dicit, qui absque discrimine omni Ictero eadem præscribunt medicamenta*) biliosum humorem quantitate, vel qualitate irreducibili peccantem educere, eundem cum sanguine ad crasin debitam revocare, ebullientem refrænare, præcipitare, invertere, dissociare, dejicere, deprimere, sistere, figere, mortificare, sedare, prosternere, (quomodocunque voces, modò cures, parùm refert,) viscidum, crassumque attenuare, incidere, detergere, fixum elevare, obstructions referare, stagnantem discutere, movere, veneni vires infringere, & sæpius, quia Causæ junguntur, quædam horum Indicantium jungere jubet; Virium rationem habet Vitale, viscerum singulorum corroborationem præcipiens. Ambobus decenter simul satisfiet remediis ex Chirurgia, Pharmacia & Diæta desumptis. In Chirurgia primas tenet V Sectio, quæ tamen, cum plethoræ maximè deplendæ gratia instituat, in præsentia affectu vix conveniet, nisi ubi intemperies hepatis vel inflammatio subest, vel sanguinis nimia fit ebullitio. *River. in Obs. supra §. 6.* cit. suasit Venæsectionem quidem, ob metum tamen abortus, qui nihilominus fuerat insecutus, omissa fuit; nec majus præsidium in venis narium pertusis sperandum; Fonticuli tamen, cucurbitulæ sicæ, frictions, pectinationes, & pilorum vellicationes suâ hîc non sunt privandæ laude.

XIV. Majoris momenti sunt remedia Pharmaceutica, quæ pluribus Indicationibus variisque modis satisfaciunt. Suntque, quæ crassum, viscidum, & fixum biliosum humorem emendant,

dant, obstructions aperiunt, vitiosos humores in corpore redundantes naturæ reddunt obedientes, & per vias, quas ipsa affectat, suatore *Hipp. Sect. 1. apb. 21.* evacuant, quem in finem conducunt deoppilativa, incidentia, plerumque simul diuretica, aliquando diaphoretica, aperientia, quæ commodè junguntur cum per alvum blandè & per *Μίξου* purgantibus, cum quibus tamen, ut & vomitoriis, quæ non nisi aliquando in recenti Ictero, & ventriculo viscido humore oppleto, admitto, cautè mercandum, ne nimium commotis humoribus igni oleum affundas; Inter purgantia autem juxta *Plater. l. c.* palmam reliquis præripiunt maximè amara, quippe quæ non solum contra obstructions profunt, sed & oscula venarum aperiunt, vermesque, qui frequentes in intestinis ob fellis absentiam generantur, enecant; Inter aperientia excellunt dicta vulgò hepatica, cichoracea omnia, ut & rad. ζ . aper maj. & min. rad. urtic. curcum. rubiæ inct. herb. cent. min. absinth. pont. veronic. scorzon. marrub. Croc. fl. calend. Cort. aurant. Cicer. rubr. spec. diacurc. troch. d. capp. Syr. byzant. (multùm saccharata tamen fugias) Eff. curcum. Aq. aperitiv. Exc. D. D. *Præfidis, Patroni & Præceptoris mei omni obsequii genere prosequendi.* Elix. propr. cum vel sine rhabarb., Spir. & Sal aperit. Penot. Simul & aromatica ac volatilia ex quocunq; regno, quorum ubique obvia est larga seges. Huc spectant, ex certis signaturis quæ cognosci dicuntur, non tamen istis, sed vi aperiente, diureticâ, diaphoreticâ agentia, quorsum pertinet rad. Chelid. maj. quam in vino infusam infallibile ad Icterum remedium proclamat *A. Kircher. Art. Magn. Luc. & Umbr. l. 1. p. 3.*, Lapis luteus fellis bovis, de quo vid. *Ephem. Germ. Ann. 3. Obs. 283.* pellic. flava de Ventric. & ped. Gallin. &c. Similibus viribus gaudent specifica antiictERICA dicta, quorum sufficientem farraginem suppeditat *H. à Bra tr. d. remed. simpl. ad Ict.* Ex horum censu, Internè *Tb. Barth. Act. med. & phil. Hafn. Obs. 120.* decocto fragariæ inveteratum icterum curatum fuisse testatur, cui, ut potentius evadat, *Pb. Grünling. Pr. l. 3. p. 5.* admiscet marrubii mß. Succum marrub. ex *Diosc. & Sirup. ex solo succo marrub. confectum ex Foresto Obs. 19. l. 19.* laudat *River. prax. l. 6. c. 4.* In *Ephem. Germ. Ann. 3. Obs. 290.* Muscus pul-

pulmonaris quercinus ad Mj. in cerevis ℥j . ad conf. mediet. decoctus vocatur certissimum auxilium, si singul. manè & vespèri hauriantur cochl. xiiij. Ex ♂ parata, & cum superioribus maritata medicamenta multum profunt, & *Willisio Pharm. Rat. s. 2. c. 1.* sulphuris & salis fixi efferationes deprimendo, & cruorem volatilizando, Aliis alio modo, tantum juvamen afferunt; Limat. tamen ♂. præ Croco ♂. hic eligit *Excell. D. D. Wepfer. l. c.* quod scil. adustione spiritus penetrantissimus & Acidularum mater pereat. Antimoiium & ♂ in antimon. diaph. ♂ial. utile hic ineunt conjugium, laudandæ insuper Tinct. antim. & ♂. Essent. ♂. tartarizatam commendat *Exc. Ludovici Pharmac. mod. secul. applic. p. 529.*, Sal Urinæ extollit *Helmont. d. Lithias. c. 3. §. 2.* Optima etiam tartarea remedia, Spir. & Tinct. Tart Tart. Vitriolat pil. tartar *Querc.* & simil. Acidulas ictericos prognostico relictos ad miraculum usque sanare inquit *Willis. l. c.* maturè tamen, antequam hydrops ingruat, aquaque in pedibus vel ventre coacervetur, ne scil. in corpore retentæ malum augeant, adhibendas vult *Plater. l. c.* Quibus quoque Quidam spir. acidus ex lignis substituunt. Ex regno animali pariter hic desumpta sunt plura præsidia, quæ *Willisus l. c.* salem volat. in sanguine depressum restituere, sulphurque & sal fixa nimis evecta deprimere, quò scil. sanguis bilem modicè tantum progignat, ritèque secernat, credit. *River. Pr. l. 6. c. 4.* ex *Quercet.* excrementis animalium, avium præprimis, qualitatem nitro-sulphuream, miramque incidendi, attenuandi, & dissolvendi vim attribuit. *H. à Bra l. c.* eadem esse ait diuretica, & partium subtilium, in specie verò stercorei anserino tantam vim inesse calorificam putat, ut gramina, in quæ inciderit, inurat; Hujus generis sunt lumbrici terr. in omnium ore repentes, Pediculos numero xi. devoratos commendat *Plater. l. c.* num. iiij, vel vj. in ovo forbali sumtos egregium sui experimentum vocat *Z. Lus. pr. hist. l. ult. c. 2. num. 7.* Infelicem tamen curam Icteri per pediculos in ventriculo ægri sese multiplicantes & mortem inferentes observavit *Hannæus Act. Med. Hafn. Vol. 3. Obs. 91.* Urinam ægri præscribit *Mercurial. l. 5. d. febr. c. 28.* quod humores lentos incidat, tennes secet, crassosque abstergat; Stercus anserculi verè herbam

pascentis in aq. & vin. decoct. propinat *Plat. l. c.* exicc. ad ℥j. dant *River. l. c.* & *Höferus Herc. Med. l. 3.* Stercus album pull. gallin. exicc. ad ℥β. per 4. dies exhibitum summum esse remedium ait *Grünling. l. c.* Similia plura habet præcit. *H. à Bra,* ad quem, cui hæc fercula arrident, remitto. Icterus cum hydrope nephritide & Ischuria stipatum, curatum vid. in *Ephem. Germ. Ann. 3. Obs. 174.* Formulas qui desiderat, sequentes habeat: ℞. rad. fragar. ℥j. chelid. maj. ℥β. herb. fragar. marrub. à Mj. summit. absinth. flor. Cent. min. à Mβ. fol. senn. s. s. ℥ij. rhabarb. ℥β. sem. anis. fæn. cor. à ℥j. Conc. & contus. in sacc. infund. in vini ℥b. vj. Quod vinum excipiat diligens usus seq. pulv. ℞. fec. rad. aron. ℥ij. limat. ♂. ℥β. pulv. lumbr. terr. ℥iβ. Salis Card. ben. Cent. min. à ℥j. sacch. alb. ℥vj. Quod si præter expectationem his non cederet contumacior causa, in nigro Ictero plerumque conspicua, valentius operabitur seq. ℞. pulv. cachect. Querc. ℥iij. Vitriol. ♂. ℥ij. tart. vitriol. ℥iβ. Sal. genist. fraxin. à ℥ij. tamarisc. ℥j. Misc. Nonnunquam etiam interjiciantur purgantia, v. g. ℞. extr. rhabarb. ℥iij, f. pil. 40. & quovis quadriduo deglutiantur 20, vel ℞. rad. jalapp. ℥β. spec. diaturb. c. rhab. Crem. tart. à ℥β. M. d. in triplo. Externè Ictero mederi creditur Tinca piscis per dorsum dissectus, ventrique & pedibus pro amuleto applicatus ex *Senn. prax. l. 3. p. 4. c. III.* quò & multos curavit *Cnoeffelius*, additis tamen simul internis, testib. *Eph. Germ. Ann. 4. & 5. Obs. 49.* *Höferus l. c.* ex *Rondelet.* plantis pedum seq. applicat: ℞. fol. visc. quern. Mij. marrub. chelid. à Mβ. bacc. junip. Miβ. contund. & cum vino misc. *Pilosella* herba calceis ægri imposita idem præstare creditur; *Grünling. l. c.* suadet mictionem supra stercus equinum recens egestum; Ex urticis ægri urinâ aspersis & farinâ permixtis placentulas paratas feli porrigunt Alii devorandas; Plures similes curas, sympatheticas, magneticas, vel per transplantationem vulgus in usu habet, earumque magnum numerum recenset *H. Petrus Nosol. barm. dogm. herm. diss. 37.* quorum quidem medicaminum, (verba sunt de arcanis *Galenii l. c. l. 4. c. 4.*) promissiones magnæ sunt, effectus aliquando nullus, plerumque exiguus, quo-
rumque

rumque veritatem plebs inerudita, cum rationem scrutari nequeat, præter rationem credit.

XV. Reliquiæ, si quæ supersunt, circa habitum maximè corporis, eradicandæ penitus sunt, diureticorum vel diaphoreticorum continuatò usu, quem in finem *R. Minderer. med. mil. c. 6.* commendat pulv. rad. cyclam. quem sudorem evocare croceum, & linteamina tingentem dicit. *Ettmüll. l. c.* infanti icterico statim ab ortu præbere jubet gr. j croci sæpius de die in lacte nutricis. Balnea item pro discussione impacti cutis meatibus humoris profunt, thermasque Bollenses laudat *Job. Baubinus d. therm. Boll. l. 3. c. 49.* Artificialia fiant ex decoct. fl. chamom. melil. centaur. malv. parietar. fol. querc. chelid. saponar. hordeo, fufur. lupin. fabis; aliud proponit *Timæus l. 3. Obs. medic. 27. & Obs. 30. ejusd. libri emuls. sem. Cannab. & nucl. persic.* ad totum corpus fricandum suadet. Sudor sive sequatur aliquis, sive nullus, modò per volatilia transpiratio corporis juvetur, color mutabitur. Criticus in febribus accidens præter transpirationis per cutis poros promotionem, & impedimentorum, si quæ hujus sunt, ablationem, nihil desiderat. Contra Calculos supra accusatos laudatur Spir. Nitr. dulcis; Pulvere & jusculo quodam grandines è Vesica fellea eduxit *Exc. Hertod. in Eph. Germ. Ann. 4. & 5. Obs. 99.* Ebulliens biliosus humor postulat acida, quorum varia genera probè distinguenda, aquea, saturantia, refrænantia, inhibentia, ut sunt vin. granat. succ. acetosell. serum lact. capr. hord. sem. 4. frig. lapill. cancr. C. Rhinoc. ebur, sacch. hni, 2, Antim diaph. papaveracea, anodyna, narcotica, & c. *Venenatus* pro veneni diversitate, ægrique conditione varia antidotis propriis, quæ *Sennert. l. 6. pr. p. 6.* tradit, curetur, quibus utilissimè camphoram admisceri ex *Wecker. antidot. ait Mæbius tr. d. Campb. c. 25.* Inter communia verò seq. mixtura locum habet cochleatim sumenda: R. aq. scord. fumar. card. bened. à ʒij. theriac. Andr. ʒj. Diascord. Fracastor. ʒiiij. Syrup. acetos. Citr. ʒj. Sal item viperarum & C. C. volat. suo funguntur hinc officio. Aliæ causæ quomodo tollendæ, ex propriis petendum locis.

XVI. Restat *Diata*, quam brevissimis attingam: Mutatio aëris non rarò magnum affert auxilium, cibi sint medica-

mentosi in Chronicis morbi optimi, Potus item ægrorum similis
 infus vel decoct. imprægnentur; Pisorum jus, quod quidam pro
 absterfione Ictericis præscribunt, damnat J. C. Rosenberg. *ros*
Jatr. animadv. xiiij Poculum quoddam, aureum ab antiquis Me-
 dicis dictum, ex erythrodani radice factum ex *Plin. l. c. l. 24*
c. 2. laudat J. Lang. *l. 1. Epist. med. 29.* Animi affectus viten-
 tur immodici, mœror præsertim, & nonnaturalia omnia
 supra intra causas adducta fugiantur, aut de-
 center corrigantur.

I.

TU *Möglingus* eris decimus jam Tertius, Artis
 Cui Medicæ Laurum Nostra Tubinga dabit:
 Stirpe satus Medicâ Studio, Virtute Parentem
 Cùm referas, fiat Par Tua Fama, precor.

scripsit

PRÆSES

II.

ESt pretium virtutis honor, qui pulvere venit,
 Otia nam segnes condere lenta solent.
 Sudorem assidui nomen comitatur, at horum
 Vita latet veluti, sic quoque fama silet.
 At Möglinge gregem virtus tua nescit inertem,
 Altius ex imâ surgere gaudet humo,
 Qui multa excubias Musarum ad lumina duxit,
 Non operam, aut oleum perdidit ille suum.
 Ipse volens studium fructus, facilisque sequetur,
 En! præsto meritis præmia digna tuis.
 Turba novena tibi nectitque Hygieabrabeum,
 Atque caput certant condecorare tuum.
 Addet Juno faces: sic parte beatus ab omni,
 Unus & ex paucis, quos amat æquus, eris

Applaudit conspicuo labori
 Prænobilis & Clarissimi Domini Candida
 Medicinæ, Cognati sui colendi
 JOHANN - HENRICUS MÖGLING
 Philos. Stud.

F I N I S.